



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLVI. Ioannis Papae VIII. Ad Gregorivm Imperialem Paedagogvm.  
Gratulatur imperatorem contra Sarracenos classem ad ecclesiae  
defensionem misisse; eumque ducem constituisse: tum monet, vt ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

bus, tantorum pereuntium miserebitur, & dolores nostros auferens, foedera cum iniquis Paganis a vestratibus facta dissoluet: ubi rogamus cunctis conatibus fudes, qui tanto de profectu tui certaminis latari speramus, quanto te in hoc opere cooperatorem nostrum habere confidimus. Interim magnopere postulamus, ut quidquid siue de dromonibus dirigendis, siue de impiis peccatis soluendis per tuam solertiam, vel per fratris tui obedientiam effectui fuerit datum, citissime nobis sancta tua fraternitas scriptis significare procuret. Data xv. Kalendas Maii, in dictione decima.

## E P I S T O L A XLVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GREGORIVM IMPERIALEM PÆDAGO GVM.

Gratulatur imperatorem contra Saracenos classem ad ecclesiæ defensionem mississe; eumque ducem constituisse: tum monet, ut decem<sup>\*</sup> achelandia ad litora a piratis Saracenis expurganda mittat.

*Ioannes episcopus Gregorio imperiali paedagogo.*

\* al. che-  
landia,  
qua e na-  
vibus mi-  
litarium  
genero  
fuit.

**G**LORIAM tuam hac apostolatus nostri epistola missa primitus exhortamur, ut diuinitus datas sanitates desiderabilis filii nostri Basilii tranquillissimi imperatoris nobis significes. Cupimus enim valde salutem eius animæ simul & corporis semper audire, tamquam piissimi propugnatoris orthodoxæ fidei. Gratulati autem sumus audientes gloriam tuam directam cum Deo conseruandis exercitibus a predicto diuinitus protegendo imperatore, in partes Beneuentanorum venisse, tam quia, gratias Deo, ipsius diuinitus proiectum imperium in defensionem Christianitatis pio zelo succensum, classes & militarem validam manum contra inimicos crucis Christi mittere procurauit; quam quod te praeceteris ad tantum opus cum Dei auxilio peragendum elegit, quem audiuius in omnibus strenuum, & Dei cultorem industrium. De cetero credimus scire iam magnificentiam tuam, qualiter quædam latrunculorum Agarenorum sagenæ occultis irruptionibus litora nostra deuastent: & quia palam ausum non habent, fur-

tiuis deprædationibus plurima huic sanctæ Dei Romanæ ecclesiæ damna multipliciter inferant. Quapropter bene visum est nobis literas nostras tibi transmittere , ut vel decem bona & expedita achelandia ad portum nostrum transmittas , ad litora nostra de illis furibus & piratis Arabibus expurganda. quod citius & sine aliquo impedimentoo agere poterunt, adiuuante dextera Excelsi, quæ principibus apostolorum intercedentibus concertabit, & auxiliabitur illis : in quo , mihi crede, gratum animum püssimo imperatori facies , si in hoc admonitiones nostras audieris : quia cum sit Christianissimus Dei amator , & ecclesiarum Domini feruidus propugnator ; non poteris illum tibi gratiorem reddere , quam si tantum hanc sanctam ecclesiam per te studueris adiuuare , quæ prima ecclesiarum magistra & caput est , maxime cum in hoc facto eidem a Deo protet semper Augusto , & in hoc sæculo gloriam , & in futuro acquiras sine fine coronam. Deus omnipotens te & qui tecum sunt protegat , & contra inimicos Christi potenti dextera tueatur. Data xv. Kalendas Maii , indictione x.

## EPISTOLA XLVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM CALVVM IMPERATOREM.

Nuntiat se Adelardum episcopum Veronensem excommunicasse , quod Nonantulanum monasterium inuasisset.

*Ioannes episcopus ad imperatorem.*

SACRIS vestræ imperialis clementiæ auribus gloriofissime imperator Auguste Adelardi Veronensis episcopi inobedientiam , & temerariam præsumptionem , quam non solum in nostro contemptu , sed etiam in vestræ celsitudinis peregit iniuriam præsentibus referre apicibus iure curauimus & merito : nam superna vos maiestas sanctæ suæ ecclesiæ nobis commissæ patronum inuictum , defensorem potentem , & strenuum adiutorem concessit , ut in omnibus ecclesiasticis vtilitatibus vnde perpetuā habere gloriam mereamini , quasi vindicem Dei habeamus ministrum. Igitur cum eumdem Adelardum episcopum venerabile